

10. EPIDENDRUM (*nocturnum*) caule multifolio; nectarii labio tripartito,  
integro; lacinia intermedia lineari. TAB. CXXXIX.

Planta vix pedalis, parasitica arborum. Radices teretes, fibrosae. Caudis  
teres, simplex, glaber, circiter quinquefolius. Folia oblonga, obtusa, inte-  
gerrima, coriacea, nitida, avenia, vaginantia, alterna, subdisticha, fere tri-  
pollicaria. Flores tripollicares, sessiles in spadice brevissimo spatibisque paucif-  
simis vestito, bini plerumque, rarissime tres, interdiu inodori, noctu odorem  
exhalantes suavissimum, qui aliquid cum liliis albis commune habet; petalis  
e viridi luteis; nectarii albi laciinis lateralibus nulla cilia eminentibus, hinc  
petalis duplo brevioribus. Reliqua, ut in charactere Ep dendri ciliaris; sed  
de staminibus nihil dico, quum illa in floribus, quos ego examinavi, omni-  
bus deciderant cum nectarii cucullis.

Habitat in sylvis montosis Martinicæ.